DE

INFANTUM REGIMINE.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE LITTERARIA BEROLINENSI

UT

SUMMI SIBI IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES RITE CONCEDANTUR

DIE XXII. M. IUNII A. MDCCCXXI.

H. L. Q. S.

PALAM DEFENDET

AUCTOR

FRID. GUIL. EDUARD. SCHUMANN

BEROLINENSIS.

OPPONENTIBUS

A. KLEEMANN MED. DD.

F. FLEMMING STUD. MED.

J. GABLER STUD. MED.

BEROLINI

FORMIS BRUESCHCKIANIS.

VIRO

CELEBERRIMO EXPERIENTISSIMO

I. BENIAM. ERHARD

MEDICINAE DOCTORI ET MEDICO PRACTICO

BEROLINENSI

AB EXAMINIBUS SUPREMIS ATQUE ORDINIS

BELGICI LEONINI SODALI

HASCE LITTERARUM PRIMITIAS

PIA GRATAQUE MENTE OFFERT

AUCTOR.

Introductio.

Non solum nostris temporibns verum etiam antiquioribus, quibus homines liberaliori morum cultu gaudebant, educandi ratio ad artis dignitatem evehebatur, siquidem homines cultiores tum luxuriei magis semper indulgebant, propterеaque infantes imbecilliores edebant, tum animi facultatibus excolendis operam impendebant. Certo enim certius constat, unumquemque hominem, ad litteras diligentius et cum assiduitate quadam incumbentem, licet modice vivat, minori corporis robore instructum esse, quam rudiorem quemvis, quippe qui omnem operam solummodo in exercendis firmandisque corporis sui viribus collocat. Hinc iam Celsus omnesque antiquioris aevi auctores, ad imbecillos, aiunt, magnam urbanorum partem, omnesque litterarum cupidos pertinere. Ubi hominum mores sunt rudiores, educatio secundum praecepta quaedam conformatur sive ut ita dicam, ars educandi non existit, siquidem instinctus perinde hominem ac animalia, quaevis noxia evitare docet, quam ob rem omnes vires ad

nutritionem corporis congeruntur. Hominibus autem, qui animi cultum reliquis praeponunt, omnis fere corporis cura negligitur, et materiae fortasse subtilissimae, ad colendum animum necessariae, corporis nutritioni subtrahuntur.

Quum vero animi excolendi causa in hac rerum natura versemur, quumque corporis sanitas ad hunc finem consequendum, et felicitatem vitae comparandam quamplurimum conferat, facili negotio patet, omnem educandi artem id moliri debere, ut et corporis vires et animi dotes aequabiliter elaborentur. Quum tamen animi facultates rite excoli nequeant, nisi organa hisce facultatibus dicata, ad certum firmitatis et perfectionis gradum evecta sint, maxime interest, organa illa ab omnibus iniuriis non solum defendi, sed quoque ad iustam viam dirigi, tempusque infantis constitutioni idoneum eligi, quo animi cultus incipiatur. Omnis enim evolutio animi praematura citra dubium pro morbo est habenda, valetudo atque habitus corporis hoc in casu debilis, vita brevis laboriosa et aerumnosa erit. Sicut plantae, in hibernaculis fotae, vel minimis iniuriis afficiuntur, brevique moriuntur, pueruli etiam labefactantur, qui citius quam par esset, animi contentionibus submittebantur. Felicitas, qua his in terris fruimur, non solum ab animi perfectione scientiaeque amplitudine, verum etiam a corporis sanitate dependet, sine qua vita omnino nihili facienda est. Etenim si homines, quibus ingenium praecox, nimiis agitatum laboribus, contigit, paulo accuratius consideramus, vix non imaginationem perversam, morositatem questumque de sua aliorumque hominum sorte iis in-

esse invenimus. His propositis elucescere arbitror, infantum evolutionem non solum post partum, sed etiam in utero materno necessariam esse cognitu, priusquam moderari eum iniuriisque tueri incipiamus. Quam ob rem haec de evolutione foetus generatim, et hominis partu iam editi peculiatim praemittam, omniaque praecepta circa infantum regimen ad hanc reducam.

Quum natura in procreandis rebus semper aequabili passu incedat, nec momenta quaedam raptim quasi transiliat, artificiis ad iuvandam rei alicuius evolutionem, uti alienum est. Si v. c. systema sensibile eo tempore, quo reproductio praevalet, maiori studio atque nisu intenditur, totum corpus sensibilitati infirmitatique obnoxium redditur. Contra, si iis annis, quibus firmius ac robustius evadit, animi cultus negligitur reproductio quidem fovetur, sed homines virtutibus sublimioribus parum fiunt idonei, brutisque quadantenus aequiparandi sunt.

In fabrica humana tria potissimum systemata, sensibile, irritabile, et reproductivum consideranda veniunt, quorum conspiratione vita gignitur. Horum semper alterum alterum superare molitur, quo accidit, ut eorum actiones viresque incendantur. Prout in alio organo, vel hoc vel illud praepollet, vita eius vel magis extensiva vel intensiva nascitur. In ordinibus animalium inferioribus v. c. polypis systema praevalet reproductivum, quam ob rem vis generandi eximia, vitaque haud minus tranquilla est, quam plantarum. In mammalibus irritabilitas praedominatur, unde evenit, ut vita intensior, motus maior, reproductio vero, generandique potestas minor appareat. Homines maiori insigniunt sensibili-

tate, reproductio et vis generandi, si cum ea animalium conferas, inferiorem tenet locum, vita autem potentior sublimiorque evadit. Haec tria systemata in singula parte, quin imo in singulo atomo sibi contraria, organismo intime sunt nupta; attamen unum vel alterum pro necessitatis scopique ratione semper superius est, quo singulis organis vita propria impertitur. Quemadmodum a simplicissimo inde polypo usque ad hominem scalam quandam animadvertere licet, ita corpus humanum spatiis certis varia perfectionis stadia percurrit, siquidem non omnia systemata simul, sed primum reproductivum praevalet, tum irritabile excolitur, denique sensibile superat, quae pedetentim incrementa capiunt, et aetate hominis constante maturitatem assequuntur.

De foetu.

Ubi seminis virilis irritamento ovarii vesicula rupta, et minor quae maiori continetur, expedita est, vitam propriam magisque spontaneam agere incipit. Sed aeque ac plantarum seminiis solum ovulo necessarium est, in quo vigere, atque evolvi possit. Hoc solum prima et secunda hebdomade praestat ovarium, tum uterus, ad quem tertia hebdomada perfertur. In hoc solo celeriter excolitur, siquidem fere sola reproductio praevalet, plantaeque parasiticae aequiparari potest. Affigitur huic solo exsudatione uteri plastica, quam status inflammatorius, mediante coitu exortus, inducit. Haec exsudatio procedente tempore membranam caducam Hunteri exhibet. Hebdomade tertia exeunte duae formantur vesiculae, quas crystallisationem animalem

nuncupare et hydatidibus aequiparare licet. Vesiculae istae duabus concluduntur membranis, amnio, interiori, et chorio, exteriori, quorum hoc postea vasa multa producit, partemque foetalem placentae repraesentat. Sub fine hebdomadae quartae embryonis ambitus magnitudinem apis adaequat. Pro nutrimento foetus haud dubie liquore vesiculae umbilicalis 1) utitur. Hoc tempore cum vermibus refert similitudinem, quorum tota superficies assorbet. Placenta eo gradu excolitur, quo foetus increscit, vasa eius in centrum congeruntur, ac circulatio simplicissima subnascitur, quo facto etiam irritabilitas se manifestat, vitaque foetus ei piscium haud absimilis est.

Vasa utriusque placentae nullum inter se alunt commercium, quod iniectiones a Monro, Noortwyks et Hunter institutae testantur. In parte foetali bulbi seu noduli deprehenduntur, villis intestinorum similes, quos, uti etiam villos, vasa subtilissima, venarum sc. fines tenuissimi, comitantur, quorum vero cum vasis bulbosis nulla est coniunctio. Vasa bulbosa chylum ex parte uterina secretum resorbent, et ad amnii liquorem provehunt. Chylum uteri vasis inesse, experimenta, a Noortwyks et Preuss instituta, contestantur, quippe qui eum in utero humano invenerunt. Oken in utero suillo maximam chyli copiam reperit. Quod si vero foetus non sanguinem a matre accipit, sed tantummodo materiem in sanguinem convertendam, et si ad hanc mutationem gasi oxygenio opus est, respirationis

---

1) C. F. Lobstein, Essai sur la nutrition du foetus.

organon adesse debet, cuius vices a placenta 1) peraguntur. Vasa nimirum placentae foetalis et uterinae iuxta posita sunt, neque tamen, ut supra positum est, vicissim sese excipiunt, quae etiam ratio est vasorum aeriferorum et sanguiferorum in pulmonibus. Sanguis placentae uterinae, oxygenio scatens, sanguine venoso foetus oxygenio privatur, eodemque modo sanguis in foetu oxydatur, quo sanguis in vasis sanguiferis pulmonum, eo discrimine interposito, ut in foetu oxygenium matris sanguini, in pulmonibus vero aeri subtrahatur. Propterea placenta organon respirationis, extrinsecus protrusum, apellari potest. Arteriae umbilicales ex iliaca interna profectae sanguinem non amplius corpori idoneum, in placentam deducunt, ibique oxydationi submittunt, qui si in venas receptus, venulaeque illae in unum sunt coactae, sanguis per venam umbilicalem hepati advehitur, ex quo per venam cavam, via satis cognita, ad cor dextrum revertitur, per foramen ovale ad sinistrum propellitur, et hinc inde per totum foetum dissipatur.

Circulatione sic instituta sceleton indurescere coepit, quo in statu foetus sepiis annumerari potest. Hoc medio graviditatis spatio fieri solet; irritabilitas magis etiam excellit, ita ut mater motus infantis sentire queat. Ex sensibilitatis organis primum gangliorum systema, dein cerebrum sensim excolitur. Quo pro-

---

1) cf. Oken, der Respirationsprozess im foetus, in Siebold's Lucina. 3 Band.

pius foetus ad tempora partus accedit, eo perfectior circulatio evadit, foramen ovale coarctari incipit, ductus arteriosus Botalli angulum exhibet acutum, unde evenit, ut sanguinis aliquid in pulmones influat. Quamdiu foetus utero continetur, animalibus frigidi sanguinis adiudicandus est, siquidem temperies eius non alia est, quam liquoris ambeuntis. Ubi tandem foetus maturitatem est adeptus, haud secus, atque corpus alienum, utero expellitur, et hinc partus succedit. Tum irritabilitas atque sensibilitas magis eminet, et reluctatio trium systematum luculentior evadit. A primo partus momento cerebrum, totumque systema cerebrale, nec minus sensuum organa primas functiones praestant; circulatio derepente in totum mutatur; cor organon centrale irritabilitatis repraesentat. Iam foetus mammalium ordinibus est inserendus, quippe qui calorem suum ipse parat; tubus intestinalis functionibus suis praeest. Tametsi systemata contraria maiori perfectione gaudent, reproductio nihilominus praevalet, et irritabilitas sensibilitasque inferiorem intensitatis gradum tenent. Morbus semper dici debet, ubi irritabilitas et sensibilitas primis vitae annis nimis praecellunt, siquidem reproductio iis labefactatur. Irritabilitatem et sensibilitatem adhuc exiguam esse, somnus continuus nuper natorum, omniumque infantum minoris aetatis contestatur. Vitam vegetativam somno potissimum foveri, inter omnes satis constat, quum non solum vires systematum superiorum quasi accumulentur, verum etiam renisus eorum diminuatur, et reproductio magis vigeat. Omnia animalia cibis assumtis somno sese committere videmus, somnum

multum, quo sensus feriantur, corpus obesum reddere, homines vero alacres ingeniososque macrescere novimus. Ex his patet infantem pinguiorem esse et pleniorem, quo minor eius sit aetas, corporis vero pinguedinem diminui, ubi provectior aetas reluctationem sensibilitatis et irritabilitas adauxerit. Eadem de causa corporis incrementum primis annis maius esse consuevit, quam si corpus adolescere incipit. Cerebrum post partum magnum vegetationis fastigium exhibet, quae tamen extensa magis quam intensâ apparet, quibus evenit, ut infans impressionum rudiorum capax sit. Hisce impressionibus coenaesthesis excitatur, quae sensim instinctus naturam recipit. Instinctus, procedente cerebri incremento intensiori, in conscientiam contemplationemque sui internam convertitur. Ubi instinctus est, homo sentit, ubi conscientia, meditatur. Praeter cerebrum assimilationis organa, sc. abdominalia, glandulae lymphaticae, aliaque extensius excoluntur.

Omnia irritamenta a primo inde initio partus, tria haecce systemata labefacere atque opprimere student, unde evenit, ut organismus contra haec irritamenta reagat ac se tueatur. Hac reluctatione systematum indoles clarius se manifestat. Irritamenta quibus nuper nati primum obiiciuntur, sunt lux, aer, strepitus. Procedente tempore irritamentorum cumulus augetur, puerulus res percipere, memoria tenere, sonos musicos auribus inbibere incipit, ciborum odorumque genera distinguit. Quodsi vero incitamenta ab organismo infantili sustineri nequeunt, propterea que unum alterumve systema vel perturbatur, vel adeo extinguitur, accidit, ut in priori

casu reliqua etiam systemata alienentur, corpusque aegrotet, in hoc autem moriatur.

Si periodum evolutionis foetus consideramus, systemata singula pro singulis periodis certum incrementi gradum tenere, facile intelligimus, ita ut, quo tempore corpus crescit, reproductio potissimum superet, alia vero systemata, quorum augmento illa perturbaretur, ratione intensitatis, inferiorem occupent locum, ex quibus elucescit, hunc evolutionis ordinem nullatenus esse perturbandum, si corporis valetudinem atque firmitatem efficere et conservare velimus. Hinc praecepta quaedam generalia proponi possunt.

I. Quamdiu foetus matris utero inhaeret, quiete quam maxime opus est. Qualem hic quietem intellectam voluerim, infra exponetur.

II. Eadem quies post partum necessaria est, ne processus vegetativus pessumdetur, irritabilitate atque sensibilitate maturius provocatis.

III. Incitamenta omnia infanti admota aequabilem teneant modum, neque raptim ei inferantur, necesse est.

De regimine foetus.

Cura peculiaris non est habenda, siquidem foetus nondum suae spontis est, quam ob rem, si matri prospicitur, simul etiam foetui cavetur. Quum enim eius ipsius sanitas a matris valetudine dependeat, praeceptis auxiliisque opus est ad eam tuendam, quippe qua insimul salus corporis felicitasque futura hominis nondum editi fovetur.

Gravidam omnino vitae genus, cui assuevit, quam minimum mutare oportet, ni fortasse motus vehementiores vitandi erunt; victus sit consuetus, parum tamen calidus, sed levis. Vituperandum etiam est vitium, quo gravidae interdum peccare solent, abusus nimirum vestimentorum nimis tenuium circa pectns atque abdomen; effectus huius vestitus stagnationes lactis in mammis, dolores colici, alvus cita, spasmus aliaque esse consueverunt mala. Abdomen 1) fascia muniatur, qua simul id fulciatur, et relaxatio, descensus nimius abdominis, nec non situs infantis incongruus caveatur. Item si cultus ratio vetare videtur, ne pectusnimis operiatur, stratum tenue gossypii superinponatur, quod citra pressionem calorem moveat.

Iam ante puerperium cura mammis inpendenda est; etenim humores iis advehendi, secretio lactis iuvanda, iisque partibus, quibus homines prima capiunt nutrimenta, indoles iusta concilianda est. Aliquam huius scopi partem vestimentis mammarum supra commendatis assequimur, quippe quibus illae laxiores atque molliores redduntur, quibus praeterea vapores et unguenta emollientia adiici possunt. Wigandius unguentum ex cera alba, cetaceo, et oleo amygdalarum laudat, Osianderus mammas aqua tepida, sapone veneto temperata, lavari iubet.

Papillae mulierum primipararum saepe duriores, vel molliores, maiores vel minores, imo interdum in mammis ipsis adeo reconditae sunt, ut labia infantis eas prehendere nequeant. Papillae duriores quae in-

---

1) Osiander et Starke.

terdum findi consueverunt, cataplasmatis emollientibus, fomentis aquae tepidae, nec non unguentis emollientibus relaxantur; saepe etiam cremor lactis iis illitus ex usu est. Si vero papillae molliores apparent, aqua ex aceto mixta, sunt fovendae, cui scopo etiam spiritus lavendulae, mixtura sulphurico acida, decoctum chinae, quercus, aliaque adstringentia respondent. Prae ceteris gallae cavatae, papillisque superdatae laudantur, quibus, si papillae succreverint, subinde maiores substituendae sunt. Papillae maiores et crassiores adstringentibus supra enumeratis pertractandae sunt, neque alienum est, priusquam recens natus admoveatur, alium infantem paulo maioris aetatis apponi, donec papillae magis compressae sint. Papillae minores mammisque altius insidentes, saepius protrahendae sunt, quod vitris sorbendo inservientibus, aut antlia lactea commodissime praestatur, attamen haec instrumenta marginibus acutis vacare oportet, ne inflammatio doloresque oriantur. Papilla protracta annulo ex resina elastica confecto strictissime circumdanda est.

Supra de foetus quiete sermonem feci, quam ad idoneam evolutionem necessariam dixi, siquidem omnis vegetàtio quiete augeatur. Haec vero quies non in eo posita est, ut mater per totum gravididatis intervallum omni motu absticeat, quum potius corporis exercitatio, nisi modum excedat, consentanea dici queat, sed magis ab animi securitate matris dependeat. Quaecunque animi pathemata maximo impetu afficiunt, vitamque eius vegetativam ex toto pessumdant, quippe quae potissimum systema nervosum adoriuntur. Hinc, quum sensibilitas foetus adeo cadu-

ca sit, ut facile possit extingui, luculenter apparet, cur iram, terroremque matris tam saepe infantis mors subsequatur. At vero propter intimum matris atque foetus consensum, non solum systema nervosum utriusque simul afficiatur necesce est, si iniuriae irruunt, sed forsan etiam lympha in parte uterina secreta, lacti simillima, et id ipsum adeo depravari potest animi motibus, ut mors quam celerrime irrumpat. Non alienum esse iudico, hic loci quaedam de vitiis disserere, quae foetui matris adspectu rerum terrentium inferuntur. — Omnes gentes omnibus temporibus persuasum sibi habuerunt, ex matre perterrita deformem infantem nasci posse; neque minus Opera auctorum tum antiquiorum tum recentiorum exempla memoratu digna tradunt; quae huius opinionis probabilitatem vindicant. Nostra ipsorum experientia eandem rem contestari videtur, Winholdtius, Fr. Hufelandius, Cabanisius, aliique argumentis eam confirmare studuerunt. Quum inter omnes constet, mulieres imaginibus atque hominibus pulchrioribus conspectis, infantes edere formosiores, quumque animalia gravida, v. c. cuniculi, bacillis versicoloribus visui obiectis pullos eiusdem coloris progignant, quem bacilla referebant, non video, quidni animi motus adversi effectum contrarium in foetum exerere queant. Physiologi tamen infitias eunt, hocce phoenomenon secundum naturae leges nobis cognitas evenire posse. Verum tamen haud paucae leges naturae nobis sunt incognitae, et iam celeberrimus ille Anglorum poeta, multa, inquit, in rerum natura eveniunt, quae philosophia nostra haud suspicatur. Quaeritur hinc, num vitia, matris imaginationi

adscripta, hunc, an alium fontem agnoscant? Si exempla satis numerosa, a viris proposita fide dignissimis, et a partium studio alienissimis, nec minus vulgi suffragia super hac re perpendimus, non est, quod haec eventa inficiemur, quamvis enim ratio horum phaenomenorum captum nostrum superat, et a priori explicari non potest, in ambiguo tamen haeret, an ea vere exsistere possint nec ne? 1)

Hunczorsky pralectionibus suis in Academia Vindobonensi habitis exemplum memorabile tradidit. Foeminae iuveni gravidaeque, vehiculo insidenti mendicus amputatis brachiis obvius fuit, et, ut assem sibi daret, petiit. Miserrimus iste, ut eius misericordiam moveret, brachia mutilata nuda obtulit, quibus ita perterrita est foemina, ut post reditum febre aliquot dies tenente infestaretur. Quum partum edidisset, infans brachiorum loco truncos duos exhibuit, iis mendici ex toto similes. Brevi post partum infans mortem obiit. Hovshipx 2) chirurgus Londinensis, foeminam refert quarto mense gravidam glaciem transiisse, eaque sub pedibus rupta multumque strepente maxime expavisse. Mense septimo infantem magnitudinis legitimae edidit, cuius cutis ubicunque fissa apparuit, oraeque fissurarum magis minusve congruebant. In omnibus partibus cicatriculae induci coeperunt, haud vero absolutae fuerunt. His innumera alia exempla

1) Cabanis, Ueber die Verbindung des Physischen und Moralischen im Menschen. Aus dem Franz. von L. H. Jacob. Halle u. Leipzig 1804.

2) Bibliothéque de Médécine britannique. No. 1. Paris 1804.

superaddi possunt, quae eadem testantur. Jam quaeritur quibusnam viis mulierum gravidarum imaginatio in conformationem foetus agere possit? Conditionem corporis materni miram excrere vim in conformationem foetus, certo certius constat, quo autem modo imaginatio ad id efficacem se praestet, theorema est, quod recentioris temporis Physiologi investigare et interpretari studuerunt. Wienholtio auctore consensus quidem intercedit sentiendi facultatem matris, eiusdemque actiones ad foetum, qui atmosphaera vitali sistitur, ita, ut irritatio cerebri inopinata fortisque, mediante anima, mutationes quasdam in fabrica foetus praestare possit. 1) Fridericus Hufelandius ex intimo connubio psychico, inter eum, qui magnetismum impertit, et somnambulantem 2) quippe qui unum quasi constituant organismum, ratiocinatur, imaginationem matris irritatam in processum vegetativum foetus, qui etiam cum matre unus idemque organismus nominari potest, ita influere posse, ut conformatio anomala imaginationibus vividioribus congrua effici queat. Quae quamvis hypothetica adhuc sunt, negari tamen non potest, sensibilitatem violentius affectam in adultis quoque hominibus cum reproductione noxia quaedam communicare. Etenim matris iram lactantis tanta insequuntur damna, et mixtio lac-

---

1) Dr. Arnold Wienholt hinterlassene ärztliche Miscellen, herausgegeben von Dr. J. C. F. Scherf. Bremen 1807.

2) Ueber die Sympathie von Dr. Fr. Hufeland, Weimar 1811.

tis alienata, ut infans maximis affligi possit iniuriis. Nec minus ex terrore vel ira ventriculus afficitur, imo bilis secretio perturbatur, tristitiaque adeo labefactat nutritionem, ut corpus paulatim macrescat. Quodsi eiusmodi affectiones systematis nervosi mixtionem secretorum quorundam alienare possunt, nihil controversiae habere videtur, si foetum inter conformationem, ubi partes solidae nondum existunt, graviores mutationes subire posse, contendimus. Commercium quidem nervorum, ut supra posuimus, matrem inter et foetum non datur, si vero nervorum vis, ceu fluidum galvanicum agit, ad modum illius transplantari potest. Compertum quoque habemus, morbos in foetum ex matris imaginatione posse transferri; Veringius 1) enim, puerum sibi notum esse ait, qui teneriori aetate morbo caduco maxime divexaretur, cuius matrem inter graviditatem vehementius perterritam esse dicit, quum hominem insultu epileptico distentum conspexisset. Observatio etiam a doctore Balt Genuensi nobiscum communicata, notatu dignissima est. 2) A. J. Brignole, nobilis Genuensis, cetera sanus, Calendis Ianuariis anni MDCCLXXVI. primo insultu epileptico eoque leviori corripiebatur, quem plures atrociores eodem anno subsequebantur. Uxorem duxerat sanam, quae sex infantes ab eo ediderat. Natu maximus editus fuit, quum pater adhuc epilepsia va-

---

1) Vering, Psychische Heilkunde. Leipzig 1817.

2) Neues Journal der ausländischen medizinisch-chirurgischen Litteratur. Herausg. von Dr. Hufeland u. Dr. Harles 2r Bd. 1s St.

caret, secundum et tertium mater in utero gessit, quum maritum suum epilepsia laborantem videret, qua re maxime terrebatur; quartus filius, duaeque filiae in lucem prodierunt, patre ad sanitatem reducto. Filius natu maximus, nunquam incidit in vitium epilepticum, secundus autem et tertius eodem interfecti sunt, reliqui infantes ex toto morbo illo vacaverunt. Haec exempla sufficiant ad evincendam matris in foetum efficaciam. Quidquid demum sit, hoc certissimum est, matri cavendos esse quoscunque vehementiores animi affectus, quum infans eo validior sit futurus, quo tranquillior hilariorque matris animus fuerit. Omnes alii excessus, nisi nimii sint, minus foetui nocent, quam animi perturbationes, quibus mater submittitur. Quomodo matrem aegrotam se gerere conveniat, non amplius ad regimen sed ad medicinam pertinet.

De partu ipso, funiculique umbilicalis ligatura.

Cubiculum puerperio idoneum minus sit lucidum, potissimumque lucis radii a corporibus splendidis repercussi vitentur, quippe qui facile oculorum inflammationes movent, nervosque ita afficiunt, ut eorum laxitas et opportunitas ad Amaurosin suppeditetur. Dein aer purus sit, nec temperies eius gradum vicesimum scalae Reaumurianae superet; odores fortiores arceantur; v. c. infusiones ex herbis aromaticis nunquam in cubiculo ipso praeparentur, utpote quorum nidor sensibilitatem magnopere afficit. Medicamina

etiam volatilia, si qua necessitas incidit, cautius dispensanda sunt, ne plus diffundatur, aerque hisce vaporibus inpraegnetur.

Infans editus tamdiu in sinu matris remaneat, donec secundinae secutae sint, nisi funiculus umbilicalis infantis collo ita circumvolutus sit, ut stranguletur, vel hic inter partum adeo prematur, ut circuitus sanguinis per vasa umbilicalia suspendatur. Si infans statim a partu vocem non edit, et respiratio non succedit, exploretur necesse est, an mucus ori inhaerens inpedimentum praebeat, quod celeriter digitis removeri oportet. Secundinis subsecutis infans cum iis in balneo tepido ita ponendus est, ut totus funiculus umbilicalis aquae sit inmersus, ne aeris frigidioris accessu circulatio per eum prius desinat, quam per pulmones fiat. Funiculus, si pulsatio eius cessat, praecidendus est. Nam si circulatio per vasa umbilicalia subito interpellatur, sanguis magna cum vi per pulmones circuire cogitur, quod, si inpedimentum pulmonibus inhaeret, noxam inferre potest. Si vero inpedimentum illud pedetentim superatur, detrimenti expers esse solet, etenim facile apparet, circulationem, si per pulmones impedita est, per placentam aliquamdiu continuari. Haec circulatio, ut ita dicam vicaria, funiculo umbilicali celerius resecto, aboletur, et pulmones teneri debilesque citra dubium vehementissimo sanguinis impetu male afficiuntur. Praecipue funiculo umbilicali celerius resecto auxilium gravissimum despondetur, quo infans asphycticus in vitam revocari possit, siquidem organon, quod respirationi antea praefuit,

uti in prolegomenis monuimus, exciditur, pulmonesque huic functioni destinati, ei praestandae nondum idonei sunt. Si vero placenta funiculo umbilicali adhaeret, respirationis functio aliquamdiu per eam praestari potest, quum oxygenium, quod aquae inest, vel ex hac inter balneum assorbeatur, vel via artificiali adducatur, foetusque sanguinem oxydationi submittat. Ubi autem respiratio a pulmonibus fieri coepit, priori loco desinit, omnisque sanguis ad illos protendit. Quaeritur etiam an non his partibus maturius praecisis cordis morbi, v. c. Cyanosis, subnasci queant. Si enim sanguis propter obstaculum aliquod pulmones intrare non potest, accidere interdum videtur, ut foramen ovale, nondum ex toto clausum, ab eo perrumpatur.

An funiculus umbilicalis deligandus sit nec ne?

Plures medici obstetricii funiculum umbilicalem nuper natorum deligandum non esse contendunt, et hanc ratiocinandi viam ingrediuntur: bruta, aiunt, hunc funiculum nullatenus deligare, propereaque hominibus id supervacuum esse. Verumtamen a brutis ad hominem argumentari non licet, quum illorum funiculus umbilicalis (uti explorationes anatomicae docuerunt) non solum instante partu marcore et putredine correptus, sed etiam multo brevior sit eo hominum. 1)

1) De funiculi umbilicalis deligatione haud negligenda. Ch. G. Joerg. Lipsiae MDCCCX.

Secundinae brutorum serius eduntur, quam hominum, et quamdiu utero inhaerent, mater funiculum mordendo discerpere non potest. Quum omnia fere animalia pullos suos protinus post partum, et plerumque antequam secundinae eiiciantur, delambant, facile patet, funiculum umbilicalem, a matre mordendo discindi non posse, sed vel sponte sua abrumpi, vel a rei oeconomicae peritis non cultro aut forfice, sed sola manu decerpi, quin haemorrhagia exoriatur. Si igitur explicare velis, quidni funiculus ita tractatus sanguinem effundat, aliam rationem quaeras necesse est. Ratio autem in eo consistere videtur, quod omnia animalia maiori vi vitali pulmonibusque perfectioribus praedita nascuntur, ita ut protinus post partum respiratio rite et legitime peragatur, hominibus vero recens natis respiratio inaequalis atque debilis sit, quae pedetentim ad maiorem perfectionem evehitur, et saepenumero auxilio artificiali indiget. Propterea animalia hominibus non comparanda sunt, quum, quod illis natura suppeditat, horum menti ac ingenio sit relictum.

Populi etiam rudiores funiculum umbilicalem ligatura circumdant v. c. Aethiopes, Indi aliique, quod quidem testimoniis viatorum regionis illas pervagatorum confirmatur. Osianderus 1) enarrat non omnes Indos, sed plerosque tamen, funiculum subligare.

Kolbius, 2) Hottentottos ait funiculum arteria vervecina deligare, eamque relinquere, donec sponte

1) Neue Denkwürdigkeiten 2ter Band.

2) La description du Cap.

sua dilabatur. Exempla sat nobis persuadent, infantes, deligatione funiculi umbilicalis neglecta 3), interdum morte extingui, propterea quod funiculus umbilicalis hominum putredinem respuit, ergo sanguini effundendo opportunior est, ac respiratio non derepente, uti in animalibus, sed pedetentim perfectior redditur; ex quibus facile intelligi potest, deligationem nunquam esse omittendam. Huc accedit, quod permulti infantes populorum cultiorum a matris infirmis effoeminatisque nascuntur, ideoque magis minusve iusta vi vitali carent, qua gentium rudiorum proles pollere consuevit.

De primo nuper natorum vestitu alimentisque generatim.

Partus naturae congruus post hebdomadam tricesimam nonam editur, veruntamen oblatis conditionibus, multo prius edidi potest. Iam disquirendum est, quam maturitatem foetus habere debeat, ut vita eius conservetur. Exempla prostant, infantes octo vel septem mensium servatos esse. Franciscus Wiken exemplum infantis post mensem sextum nati enarrat, qui vix magnitudinem manus aequabat, sed cura circumspecta non solum servatus, verum etiam provectiorem aetatem assequutus est. Regimen infantum praematurorum est: Temperies cubiculi, in quo infantulus primum ducit spiritum, gradum tricesimum scalae Re-

3) Metzger kurzgefasstes System der gerichtlichen Arzneiwissenschaft pag. 373.

aumurianae teneat, qualis fere uteri calor est, summum gradu uno vel duobus sit inferior. Infans sedulo velamentis mollibus involvatur, quem ad finem linteum carptum aptissimum est; xylinum enim difficilius quam linamentum ab eius corpore iterum dissolvitur. Quoties inmundities aliqua supervenit, linteola novis commutentur necesse est, quum mundities maximi sit momenti; neque infantulus panniculis asperioribus fricandus est. Infantes eiusmodi plerumque lac sorbere nequeunt, quum non solum organa, huic negotio praefecta, minus exculta sint, verum etiam sugendi desiderium absit; propterea alio modo nutriantur necesse est. Hunc ad scopum vitris collo angustiore instructis utimur, cui tubulus est infixus (Francogalli Biberon vocant); tubulus posteriori faucium parti admovetur, humorque aliquis instillatur.

Lac matris minus huic consilio respondet, quippe quod ratione aetatis nutrimentum nimis grave est. Optime decoctum ex alica satisfacere mihi videtur. Albumen etiam commendatur, quod quidem, quum tenacius sit, intestinorum parietibus adglutinatur. Ceteroquin omnis strepitus, omnis clarior lux, et quidquid sensibilitatem irritabilitatemque infestat, vitandum est. Si foetus legitimo tempore editus, smegmate, ipsum ambeunte, purgatus, funiculus umbilicalis deinde resectus, totumque corpus explorationi submissum est, an omnia eius orificia, scilicet anus, vagina, et urethra pateant, an membrana spuria concreverint, infans in lectulo collocandus est, qui matris lectulo sit proximus, curaque maxima est habenda, ne somnus nuper nati subito perturbetur, siquidem omnia

irritamenta vehementiora nocent. Infans, dum placeat, diutius dormiat, quo efficitur, ut duo corporis systemata minus adhuc exculta atque firma, stimulisque omnibus summopere obnoxia, irritabilitas scilicet et sensibilitas, quiescant, reproductio autem sine impedimentis praestari possit. Infantuli recens nati, nisi aegrotent, multo somno indulgere consueverunt.

Abluendi autem sunt aqua tepida, nec sapone, nec spirituosis temperata, quippe quae materiae plurimum irritamenti cient. Si tamen vernix caseosa minus facile detergitur, vitello ovi, aut butyro salis experte uti licet. Alii balnea frigida protinus post partum utilia dixerunt, ad exempla Spartanorum Germanorumque veterum provocantes. Hanc vero agendi rationem corporibus effoeminatis nostri aevi nullatenus respondere, multa confirmant testimonia. Quod primum infantuli vestitum attinet, involucra optime ex linteis parantur, quae minus stricte corpori adnexa, sed ita confecta sint, ut motum liberum non cohibeant, praecipue brachia expeditiora esse sinant. Porro distributio eorum sit aequabilis, ne diversis locis diversa temperies excitetur; prae ceteris caput tegumentis calidioribus vacet, ne cerebri incrementum nimis acceleretur. Stragulis, plumis confertis, hieme potissimum uti licet, nisi ponderosiora sint; aestate praeferenda sunt stragula pilis equinis munita, quippe quae calorem aequabilius distribuunt. Haecce tamen stragula sicca sint et pura, semperque novis commutentur, quoties priora sordibus infantum inquinata fuerint. Citra damnum etiam incunabulis uti possumus, siquidem motus vacillans, sanguinis circuitum

promovens, somno infanti conciliando idoneus est, quem quidem tranquilliorem evadere inde videmus.

Optimum nutrimentum recens nati lac maternum exhibet, ab ipsa natura ita paratum, ut singularibus organismi tenerioris statibus respondeat. Infans experrectus mammis admoveatur, idque, si adhuc sugendo abstinet, post horas aliquot repetatur; si tum etiam repudiat mammas oblatas, explorandum est, an linguae frenulum brevius, an papilla maior sit ore infantis. Nonnulli infantes hanc illamve mammam perhorrescunt, quapropter, si alteram repudiant, altera porrigatur necesse est. Mater quidem ipsa infantulum nutriat, quippe quod non huius solum, verum etiam eius ipsius saluti expedit; facilius enim puerperium absolvunt, quae mammas praebent infanti, quam quae hoc officio supersedent. Lochiorum fluxus celerius desinit, lactisque secretio levioribus symptomatis stipatur; mammae et uterus rarius indurationibus, scirrhis, carcinomatisque obsidentur. Matres lactantes, metastases aliorum organorum vicariorum promptius vitant, quaecunque vitia, ex puerperiis cito se excipientibus oriunda, praecavent, et in universum magis saluti corporis consulunt, quam quae vel propter debilitatem, aliaque vitia huic officio impares sunt, vel aliis de causis id detrectant. Cum matris lacte infans materiem assorbet, quae, corpori tenerrimo convenientissima, nutrimentum maxime naturale suppeditat. Lac ab initio secretum (collostrum) vim leniter laxantem habet, qua meconium optime expellitur, ex quibus apparet, matris lac illi nutricis longe esse praeferendum. Quum enim rarissime nutrix contingat, quae

eodem tempore infantem edidit, quumque post breve temporis spatium facultas illa lactis evanescat, meconium non nisi via artificiali eliminari potest. Porro nutricis constitutio et indoles non facile ad eam matris respondet, sed vel debilior vel robustior esse consuevit, quod utrumque damna infert, quum mater infirmior semper partum teneriorem edat, quam validior. Omnibus in exemplis lactis indoles constitutioni infantis adaptata est, quam ob rem detrimentum subnascitur, si infans tenerior lac validius, tantummodo robustiori idoneum, aut robustior lac tenuius hausit. Inter omnes etiam constat, animi indolem, quae interdum minus laudabilis est, a nutricibus ad infantes transferri. Causa alia eaque gravissima, quae vetat, ne infans nutrici committatur, est e quod rarissime sana nutrix invenitur. Quam ob rem nutritionem arte praestitam et rite circumspecteque administratam ei per nutrices esse praeponendam patet. Si nutrimenta lacti matris simillima concoctuque facilia praecipimus, eorum iustum modum infantibus tempestive indimus, ac in iis parandis summae munditiei studemus, successum saluberrimum sperare licet, id quod communis omnium experientia docet.

De nutritione singulatim.

Lac maternum, ut supra posuimus optimum est infantum nutrimentum], a natura ipsa iis destinatum, quocirca matris est, ipsam nutritioni praeesse, nisi causis quibusdam impediatur, quominus huic officio satisfaciat. Etenim lac ab ea paratum, eam habet indolem

ut singularibus crescentis infantuli desideriis respondeat; ceteroquin matris amor ad infantis salutem mirifice confert. Nutrix vel optima infantem non tanto amore, quam mater ipsa amplecti potest, et tamen infantem a nutrice fotum hanc matri praeponi videmus, id quod matri bonae et sincerae minus gratum sit necesse est. Nonne matrem aegerrime ferre oportet, animi indolem mulierculae peregrinae, semper fere ex plebe desumtae, in suos ipsius liberos transplantari, sive id lacte sive impressionibus fiat, quas natura tenerrima procedente tempore a nutrice experitur. Praesidia etiam consideranda veniunt, quibus utuntur interdum nutrices, ut infantis eiulatus compescant, et sibi ipsis otium concilient. Partes genitales v. c. manibus demulcent, ut sensum gratum infantulis excitent, et hoc modo onaniae viam 1) praemuniunt, aut lemuribus aliisque rebus supervacuis animum eorum terrent.

Lac primum, collostrum sic dictum, coloris subcoerulei, minorisque spissitudinis, quam procedente tempore est, quapropter, si vetustius est, infanti tenerrimo male respondet, neque vi laxante gaudet, qua meconium expellitur. Pedetentim maiorem acquirit consistentiam, atque plus casei pinguedinisque continet, prout infans aetate provehitur. Si mater ipsa infantis nutritionem administrat, coitum, animi pathemata, omniaque nimis perturbantia vitet, necesse est; haec enim causa subest, quae matres atque infantes no-

---

1) Hufeland's Macrobiotic.

biliorum ordinum sanitāte imbecilliori impertit. Dantur vero exempla, quibus omnino fieri non potest, ut mater infantem nutriat, aut si fieri possit, a medico arceri debeat.

Vetatur lactatio, si papillae vel iusto maiores vel minores excrescentiis fungosis obsessae sunt. Saepius infans respuit mammas, quo facto alius infantulus iis admovendus est, siquidem nonnulli eas demum capiunt, ex quibus alii iam sorpserunt. Interdum nihil lactis secernitur, quod tamen difficulter potest praesagiri, quum plenae mulierculae, mammis validis tensisque instructae, nonnunquam parum reddant, graciles autem mammisque laxis praeditae plus lactis exhibeant. Plerumque tamen evenit, ut mulieres plenae et robustae multum lactis, bonaeque indolis secernant, graciles vero et debiles parum peiorisque notae parent. Alia porro est ratio, ubi mater quidem lactationem praestare potest, sed a medico est arcenda; quod locum habet:

I. In morbis contagiosis cuiusvis generis ut syphilide, scabie, ulceribus, herpete maligno, aliisque. Matrem, syphilide infectam, infantis nutritionem administrare posse, nonnulli contenderunt, siquidem morbus syphiliticus, humores integros dimittat. Etiamsi hoc largiamur, sorptionis irritamento tamen ulcera syphilitica ad mammas evocari possunt.

II. Si dispositio morbosa corpori subest vel eruptio morborum haereditariorum imminet, v. c. Arthritidis, Epilepsiae, Scrofulosis, Phthisis. Subinde autem mulieres phthisicae bono lacte gaudent, et tempore lactationis melius habent; quod si est, puerperia praegressa

respicere oportet, si enim mater in his cum detrimento aliquo nutritioni infantum praefuit, a medico est cohibenda.

III. Si mater tristis, ingeniique difficilis est, si curae, vel matrimonium infelix ita urgent, ut moeror et stomachus moveantur, hoc officio ei interdicendum est.

IV. Si debilitati corporis universali sensibilitas nimia nervorum, aut hysteria nupta est.

V. Si matres aetate provectiores, multaque puerperia expertae, tales habent mammas, quas lactationi minus idoneas iam adspectus portendat.

VI. Ubi febris vehementior aut inflammatio obtinet.

VII. Si mammae vitiis localibus, ut abcessu, inflammatione obsessae, vel papillae sorbendo exasperatae sunt, quod si tamen levius est, lactatio haud interdicenda, sed mater tam exiguo incommodo submittenda est. Huc porro scirrhi veri numerandi sunt, quibus autem, ne quis decipiatur, caveat, quum puellae iuniores saepe nodulis stipentur, qui mobiles sunt, et lactatione evanescunt.

VIII. Haud raro infans idiosyncrasia laborat, quam suspicari licet, si ille, quamvis mater sana videtur, macrescit, acida in viis primis producit, quin imo spasticis affectionibus divexatur.

IX. Ubi ab initio lactis secretio non rite succedit, ubi infans lac acre, vel liquorem sanguinolentum sorbet a mammis abstinendus est, et aliquamdiu aliis nutrimentis fovendus.

De nutricibus et nutritione artificiali.

Quodsi vero quacunque de causa mater nutriendo infanti impar est, ad nutricem confugere oportet, cum eo tamen, ut sana sit, alioquin enim nutritio artificialis praeferenda est.

Nutrix eam habeat aetatem, ut inter annum vicesimum et tricesimum, nec saepius quam bis puerperium experta sit. Commodissimum est, si eodem tempore, quo mater, partum edidit, ut lactis indoles infantis aetati respondeat. Nutrix a medico explorandae st, an herpetibus, ulceribusque syphiliticis laboret, an sudores foetidos vel spiritum foetidum exhalet. Mammae solidae, compactae, papillae cylindricae sint, es tactu eleventur necesse est. Lac neque tenuis, neque spissius esse debet, quod ut exploretur, guttula eius ungui infundenda est, quae, si lac bonum est, tarde defluit; in aquam demissum nubeculam facit, quae paulatim dissipatur, nam si pingue est, aquae supernatat. Lac bonae notae colorem ex albo coerulescentem refert, nimis coeruleum, flavum aut viridescens malum est. Odor specificus minus fortis et fragrans, sapor dulcis atque gratus sit. Dispiciendum quoque est, an ab infante lubenter hauriatur. Nutricis etiam partus considerandus est, num sanus sit, et bene nutritus. Nutrix iracunda, stomachationibus obnoxia, venerisque amans huic negotio male congrua est, siquidem eiusmodi pathemata effectum noxium in infantem exerunt. Propterea nutricem cum moderatione quadam tractari, et honestius aliis servabus haberi oportet. Veruntamen haud nimium ei indulgeatur, quum eiusmodi mu-

lierculae, ut supra diximus, plerumque ex vulgo desumtae sint, laboribusque assueverint, quapropter exercitatio, quae citra fatigationem sit, iis conducit. Nutrimenta ei praebenda sunt valentiora, neque tamen irritantia, vel nimis nutrientia. Nutrix viro nupta penitus a coitu non arcenda est, si desiderio eius incenditur. Ubi menstruatio incidit, infantem desuescere oportet.

Si mater huic functioni inhabilis, et nutrix, quae desideriis omnibus respondeat, non est, nutritio via artificiali praestari debet, quae quodammodo illi, a nutrice praestitae, anteponenda est, quum alimenta alia non iisdem mutationibus, quibus lac, pateant, neque infans periclitetur, ne animi dotes nutricis in eum transponantur.

Primis viginti quatuor horis convenientissimum est serum lactis tamarindinatum exhiberi, quippe quo meconium expelli solet. Lac animale post horas demum quadraginta octo idoneum est, prae ceteris lac asininum, quod lacti humano maxime respondet; quod si non est, ad vaccinum confugere oportet, cuius vero pars una duabus aquae temperata sit. Aqua semper cocta, lac autem quale a vaccis obtinetur, adhibendum est, Hufelandio et Hildebrandtio testibus, quamvis Iahnius 1) lac coctum commendet. Veruntamen, si quid ego hic iudico, coctione commutatur, principioque aromatico volatili orbatur, quod odore grato conspicuum est.

Intra primos dies quatuordecim nil nisi lac propinandum, si vero acida in primis viis nascuntur, aqua

1) Jahn, Neues System der Kinderkrankheiten. 1803.

foeniculi danda, et alimenta alius generis interponenda sunt, praecipue si infans est robustior. Victum optimum panis bis coctus aqua subactus, ac bene tostus praebet, quocum lac dilutum pro potu adhiberi potest. Aquae modus procedente aetate ita circumcidendsu est, ut mense sexto dimidia pars aquae et lactis propinetur. Haec continuanda sunt usque ad hebdomadam tricesimam sextam, quo fere tempore lactis usus omittendus, et ad solidiorem victum transeundum est. Infantes mammis abstenti maturius lactis usu desuescunt, quia prius dentibus instruuntur, et tubus intestinalis alimentis solidioribus, irritamentisque fortioribus promptius assuescit, saepeque validioribus cibis indiget. Cibi semper sint recentes, nec unquam in alterum diem asserventur. Pessimum est, infantes peris linteis, pane albo refertis, pasci, quippe qui panis celerrime acescit, plus salivae ciet, orisque morbos facile inducit. Si varietatis causa pulticulam aliam, quam supra diximus, porrigere velis, radice salep utendum est. Si, quonam tempore infans mammis desuefieri debeat, quaeramus, scire licet, a variis conditionibus hoc dependere. Ubi validior infans et bene nutritus, mater autem debilis est, commodissime hoc fit mense quinto, sin partus debilis et mater firma, non ante undecimum mensem faciendum est. Veruntamen non ultra hoc tempus differendum est, siquidem lac magis spissescit et caseosum fit, neque tubo intestinali iusta praebet irritamenta. Non subito autem, sed pedetentim infans desuefaciendus est, sic ut ab initio bis, tum semel per diem praebeantur mammae, per intervalla autem nutrimenta supra recensita porri-

gantur. Tum tempus est ad victum solidiorem transeundi, qui optime iusculis carnium parum salitis incipitur. Alimenta saepius sed parcius ingerenda sunt. Si dentes omnes eruperunt, caro ipsa, sed minus liberaliter data, utilis est. Potum optimum aqua fontana exhibet, cuius initium eodem tempore' faciendum est, quo cibi solidiores administrantur. Si vero, quod nonnullis in regionibus accidit, aqua tantum impura prostat, cerevisia bene defaecata utendum est. Aqua ex fonte ipso hauriatur, nec unquam coquatur, siquidem principium volatile, recreando idoneum, aquae inhaerere videtur, quod coctione seiungitur. Simul diaeta animalis et vegetabilis coniungendae sunt, ita tamen ut, quidquid difficulter concoquatur, aut inflet, evitetur. Ex vegetabilibus quam maxime infantulis conducunt: radices dauci carottae, radices consolidae, fungi intensius cocti, semina hordei, tritici excorticata, oriza, vel aquis vel iusculis carnium subacta. Infantes pedetentim cibis certo tempore capiendis assuefaciendi sunt, quod eo magis necessarium est, quum interdum ludicro vel contumacia plus iusto assumant.

De balneis et educationis primordiis.

A primo partus tempore puerulus quotidie balneis ita subigendus est, ut a tepidis ad frigidiora transeatur. Frigidum voco balneum, cuius temperies eam aquae fluviatilis tempore aestivo adaequat, quae nostris in regionibus gradum XVI — XX scalae Reaumurianae tenet. Aqua fontana frigidior, propptereaque huic scopo minus idonea est. Hieme aquā in loco

tepido collocanda est, donec eius temperies gradum caloris supra dictum exhibeat. Si balneum non est, infantem aqua frigida spongiae ope quotidie abluere expedit. Observatio tamen tum post balneum, tum post lotionem adhibenda est, ut infans quam celerrime detergatur ne perfrigèrium fiat. Prompta abstersione simul cutis fricatur, qua refrigerium maxime impeditur. Non protinus vero a somno infans est abluendus, sed aliquo tempore interposito, ubi cutis sudare desiit. Quae si rite administrantur caput infantis facilius exanthemate vacabit, et excoriationes inter femora et nates evitabuntur. Praeterea cutis firmatur, omnesque aeris coelique iniuriae facilius sustinentur, quo fit, ut infantuli hoc modo curati multo minus diarrhoeae, catarrho, morbis cutaneis, aliisque incommodis, refrigerium excipientibus, obnoxii sint. Praeter balneum, aeris puri accessus ad infantem quotidie praestetur, neque abstineatur, si coelum nubilum atque immite est, paulatim enim infans omnibus coeli mutationibus adsuescit, facileque aeris iniurias sustinet. Quamdiu mammis adhuc admoventur, neque incedere possunt infantuli, nudi in lectulo collocati, quotidie ad aerem ferendi sunt. Hic usus nunquam omittendus est, nisi tantum aeris sit frigus, ut membra pueruli eo periclitentur. Sub his vestitus commodior leviorque administretur, capitis tegumenta in totum repudientur. Infantibus gressum facere incipientibus locus detur tutus, quo motibus et ludicris indulgere possint, libera enim exercitatione artus omniaque organa firmantur, motibusque aptiora redduntur. Somnus etiam exercitationem promptius sequitur, quod

tum puerulis ipsis, tum mulierculis eos custodientibus magno est emolumento. Expergefacti non amplius lectulo detineantur, hoc enim tempore propter imaginationem exaltatam, lecti calorem, et excrementorum colluviem onaniae via praemunitur.

Ubi igitur nutritio infantis ab ipsa matre, sed sana, praestatur, ubi liber aeris usus quotidie conceditur, balnea in usum vocantur, omniaque irritamenta, quae infanti conducunt, non raptim, sed pedetentim, prout res postulat, augentur, ubi porro modus nulla in re exceditur, et, ut brevibus dicam, ubi naturam ipsam imitamur, nec quidquam consiliis eius obnitimur, omnes evolutiones commode et citra periculum insignius evenient. Prae omnibus repudianda est educandi ratio, qualis plantarum in hibernaculis esse solet, qua fit, ut plantae tenerrimae, nimio antea calore, aliisque subsidiis fotae, vel minimam aeris asperitatem perhorrescant, celeriusque aegrotent. Cui demum educationi homunculi debentur praematuri atque sensiles, 1) qui minimis stimulis subacti, hominibus aetate provectioribus adaequant, omnemque iuventutis hilaritatem et gratiam perdiderunt, ubi pueros esse et puerilia tractare eos oporteret; cui inquam educationi, quam quae hibernaculo quasi administratur? Si omnis opera in eligendis incitamentis subtilissimis, sensibusque demulcendis collocatur, nonne

---

1) Hufeland nennt diese Unglücklichen wandelnde Nervensysteme, Organisationen, die bloss zum fühlen nicht zum handeln da zu sein scheinen. S. D. Ch. W. Hufeland. Guter Rath an Mütter etc.

corpora libidinibus omnibus obviam aguntur? Experientia haec testatur; dantur enim pueri, qui priusquam genitalia excolantur, iam veneris desiderio moventur. Huc accedit, quod pueruli annorum trium, quatuor aut quinque scholis coercentur, et quum propter maiorem organorum sensuum évolutionem liber aeris usus maxime necessarius sit, cubiculo angusto detinentur, oculosque libellis infigere coguntur, quibus coelum intueri oportet, ne acies eorum hebescat, omniaque pedem dimidium distantia, cernere nequeat.

Si discendi initium pueri fecerunt, quod anno octavo vel nono commodissime fit, corporis exercitationem nunquam negligere oportet, ita ut paulatim ab hac ad scholas adducantur. Prima litterarum elementa non ante annum octavum iis tradi, haud alienum iudico, siquidem ingenio maturiori et corpore integriori mentis labores mirifice sublevantur. Ceteroquin experientia teste persuasum habeo, pueros, post annum octavum scholis admissos, unius anni intervallo omnibus iis facile imbui, quibus alii a quinto ad octavum aetatis annum vacarunt.

CURRICULUM VITAE

EX DECRETO

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

BEROLINENSIS

ADIECTUM.

Ego Fridericus Guilelmus Eduardus Schumann, Idibus Februarii A. MDCCXCVIII Berolini natus, atque ab anno octavo scholis privatis per biennium litterarum elementis institutus sum. Triennio subsequente Gymnasii Fridericiani primum classes inferiores, dein superiores frequentavi. Rebus circumstantibus permotus Gymnasium hoc reliqui, quo facto botanicae atque chemiae, virorum celeberrimorum doctissimorumque Hayne et Turte ausspiciis, operam impendi. Anno MDCCCXVIII d. Febr. Mens. XXIV. Rectore Universitatis Berolinensis Magnifico Marrheinecke civium academicorum numero adscriptus, hisce interfui praelectionibus: de physice Cel. Turte; de chemia Ill. Hermbstaedt; de philosophia naturali Cel. Link., de osteologia et splanchnologia Ill. Knape. Anatomiam

corporis humani universum nec non pathologicam Ill. Rudolphi; artem cadavera rite secandi in theatro anatomico, viri Ill. Knape et Rudolphi me docuerunt. De physiologia Ill. Rudolphi, de materia medica Cel. Osann, de pharmacologia Cel. Turte; de pathologia generali Cel. Fr. Hufeland, de Semiotice Ill. Ch. Guil. Hufeland atque Fr. Hufeland, de pathologia speciali, atque therapia speciali Ill. Horn audivi. In chirurgia et Akiurgia Cel. Rust; morbis ossium dynamicis Ill. Graefe, doctrina de ossibus fractis luxatisque Cel. Kluge, ophthalmiatrice et medicina forensi Cel. Wagener praeceptores mihi contigerunt. Exercitationibus clinicis tum medicis tum chirurgicis Ill. Berends, Cel. Neumann et Cel. Rust benevole me admiserunt. Arte obstetricia et theoretica et practica Cel. Kluge Mesmerismo Cel. Wolfart me imbuerunt.

Tentamine et examine rigoroso coram gratioso medicorum ordine rite superatis, dissertatione inaugurali conscripta publiceque defensa, non dubito, quin summos in utraque medicina honores per Decanum maxime Spectabilem impetraturus sim.

THESES DEFENDENDAE.

I.

Matris imaginatio ad ſoetus conſormationem influit.

II.

Generatio aequivoca haud negandá.

III.

Crisis non est effectus sed causa sanitatis redeuntis.

IV.

Caecus felicior est surdo.